

11  
Disputatio Juridica

DE

JURISDICTIONE

Quam

Prosperante Divino Numine

Ex consensu

Magnifici & Amplissimi Jctorum in florentissima  
& celeberrima Academia Wittebergensi ordinis

SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi Consultissimi & Excellentissimi

DN. HENNINGI Grossen

J. U. D. Prof. publ. Curia Electoralis & Facultatis  
Juridicae, nec non Judicii Provincialis in inferiori Lusatia Asses-  
soris gravissimi, Domini Praeceptoris & Promotoris sui  
aeterno honoris & observantiae cultu

prosequendi,

Placida disquisitioni publice

proponit

CHRISTOPH JOACHIM Bucholz

Schöningâ Brunsvig.

Habendam ad diem 16. Julii,

In Acroaterio Jctorum horis à 7. matutinis.

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typograph. AMBROSII ROTHII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XXXI.

453

23

1631 5



INSTITUTIONE

Faint, illegible text in a historical script, possibly Latin or German, covering the majority of the page. The text is mirrored across the page, suggesting bleed-through from the reverse side.

Fragment of text from the adjacent page on the right, including characters like 'te', 'se', 'ru', 've', 'ti', 'm', 'N', 'E', 'la', 'H', 'g', 'in', 'r', 't', 'L', 'c'.



DISPUTATIO  
DE JURISDICTIONE.

Prooemium.

**S** In ulla aliqua Juris materia ve-  
rum est, quod Grecis vulgatum est;  
δύσκολα τὰ καλὰ, id certè in Jurisdi-  
ctionis materia obtinet. Καλὸν siue  
pulchritudo ejus ex utilitate, ne-  
cessitate & jucunditate facile estimari licet,  
Quà enim ratione actionem quis utiliter insti-  
tuere vellet, nisi ex hac materia prius dijudica-  
ret judicemne habeat competentem? annon Ad-  
versarius potius forum declinare possit, quàm  
in eo stare? Hoc qui non faceret, quid aliud a-  
geret, quàm quod inanibus sumtibus se vexaret?  
Hinc rectè qui totius fere juris materias in ea  
latere dixerunt; undè eam totius juris obicem  
& repagulum esse affirmare non erubuerunt.  
Necessitatem ejus elapsò retrò seculò infringere  
male-sani quidam homines ausi sunt, imò peni-  
tùs eradicare & evellere; quorum conatui si e-  
ventus respondisset, quantum excidium quantaq;  
ruina non solum inclutam nostram Germaniam  
sed totum terrarum orbem invasisset! Hunc au-  
tem conatum Deus ipse praecepsit, utpote qui

A 2

Magi-

Magistratum adeoq; ipsius potestatem & Jurisdictionem sapientissime instituerat. De jucunditate hujus materiae non opus est ut multa disseram: quaestiones ex ea resultantes jucundissima eam satis superq; probant. Ne dicam de jucundissima juris publici materia, ad cujus scientiam, queso, quomodo aliquis pervenire poterit absq; solida Jurisdictionis cognitione? Δύσκολον sive difficultatem ejus omnes qui de ea scripsere, unò ore affirmant, adeò ut quidam dixerint, Nullum in toto jure tam salebrosum locum inveniri, quam hunc de Jurisdictione: Hinc factum est, quod tam diverse diversorum capitum sententiae & opiniones de hujus materiae quaestionibus extiterint, & non pauci clarissimi Jcti acerrimè pro sua quisq; opinione non secus ac Graeci pro sua Helena dimicaverint. Horum autem dissensiones componere easve decidere, neq; instituti mei est neq; ingenii fert tenuitas, onus n. humeris impar mihi imponerem. Sed saltem hasce de JURISDICTIONE conclusiones exercitii publici (uti id moris in Academiis est) causâ, non quidem pro dignitate materiae, sed pro facultate ingenii, quod certè tenue est, proponere animum induxi. Quod ut feliciter cedat, in nomine ejus ad rem ipsam aggredior, in cujus ad omnia cōsilia omnesq; actus semper progredi debemus l.2. in pr. C. de off. Praefect. Præt. Afric. Sit itaq; bono cum DEO

CON-



CONCLUSIO

I.

455

Jurisdictio (a) (à jure dicundo dicta) (b) generaliter sumpta (c) est (d) publica (e) cognoscendi (f) de causis (g) potestas (h).

(a) Πυλῶσημον Jurisdictionis vocabulum est: Sumitur n. aliquando pro ipsa regione. Sic Plin. lib. 5. hist. nat. c. 20. mediterraneas regiones vocat mediterraneas Jurisdictiones. Sæpius in jure nostro pro ipso Prætoris edicto accipitur l. divus 31. ff. ad l. Corn. de fals. l. si filia 20. in pr. ff. fam. exercisc. l. postquã 5. §. 1. v. Sed quare ff. ut leg. seu fideic. §. sed & eas 2. in pr. Inst. de bonor. poss. nonnunquã pro ipsius Edicti exercitio ponitur. l. sciendum 63. ff. de adit. edict. l. nam ut ait. 13. ff. de LL. l. sed et si. 26. §. Et adjicitur 6. ff. Ex quib. caus. maj. Vult. 1. Jurispr. Rom. 12. n. 2 Thom. Mich. disp. de Jurisd. concl. 71. lit. b. Matth. Steph. de Jurisd. lib. 1. c. 1. per tot. ubi plures leges allegatæ.

(b) Hinc Græcis dicitur δικαιοδοσία, διὰ τὴν δικαιοδοσίαν, quod est jus dicere. Qui enim Jurisdictionem habet eamq; exercet dicitur jus dicens l. 1. ff. de Jurisd. item Jusdicere l. si in aliam. 7. §. fin. l. memis. se 10. l. Est receptum. 14. in fin. l. si convenerit 18. l. fin. ff. de Jurisd. Wesemb. in parat. h. t. n. 2. Matth. Steph. d. l. c. 1. n. 10. Treutl. vol. 1. disp. 3. th. 1. lit. a. Hœn. lib. 2. disp. 1. th. 1. lit. a. Falsa hinc est à Jure & ditione derivatio, quam non solum lectio respuit, sed etiam sensus vocabuli ditionis non admittit. Hillig. in Don. lib. 17. c. 7. lit. g. Matth. Steph. d. l. n. 11. Hœn. d. lit. a.

(c) Licet plerumq; vox Jurisdictionis specialiter accipiatur, generaliter tamen sumi posse existimo: cum non sit novum in jure idè verbū modò generaliter, modò specialiter sumi: quod notū est ex verbo ad optionis, cognitionis & similibus. Quo sensu dicitur Jurisdictio plenissima l. si in aliam 7. §. fin. ff. de offic. Proc. item omnimoda clem. un. §. iisdem ubi Gloss. & Dd. de for. compet. Wesemb. in parat. hic. n. 2. Fachin. 13. cont. 21. Vult. 1. Jurispr. Rom. c. 12. num. 3. Valent. Forster. in hist. jur. Rom. lib. 2. c. 86. n. 3. Treutl. d. disp. 3. th. 1. lit. b. Matth. Steph. d. l. c. 2. n. 1.

(d) Mirè variant Dd. in definienda Jurisdictione, quorum postpositis definitionibus hanc veram esse essentiamque definiti

A. 3.

benè



benè exprimere puto cum *Wesemb. in parat. hic n. 3.* Thom. Mich. *d. l. concl. 71.* Valent. Forst. *hist. jur. lib. 2. c. 86. n. 3.*

(e) Jure publico introducta *l. 1. §. 1. ibi. publicum quod ad Magistratus ff. de I. & J. arg. l. 3. C. de Jurisdic. l. pen. ff. de judic. Wesemb. d. l. n. 4.* Fachin. 13. *contr. 20.* Thom. Mich. *concl. 1. lit. c.*

(f) Non multum erimus solliciti, an rectius ponatur vocabulum Notionis, an verò cognitionis: Scimus, non raro hæc duo confundi, ex *Goedd. adl. 99. n. 7. ff. de V. S. ubi plures ll. allegata.*

(g) Omnibus: sive civiles eæ sint, sive criminales: Non enim de civilibus tantum jus dicitur, sed etiam de criminalibus *l. 2. §. 5. quia 23. ff. de O. J. Matth. Steph. d. l. c. 3. n. 47. & seqq.*

(b) Quot significationes verbum potestatis habeat, dicitur *l. potestatis 215. ff. de V. S.* Quod autem ibi dicitur potestatem in persona Magistratus accipi pro Imperio, non eò spectat, quasi per id verbum excludatur Jurisdictio: Imperii enim hîc JCrus mentionem facit exempli causa, quippe quod non restringit regulam vel vocum significationes, nec vim excludendi habet, sed saltem declarat explicante id ipsum *Goed. ad d. l. n. 9. Vult. i. Jurisp. 12. n. 1.*

## CONCLUSIO

### III.

Dividitur ea in Imperium & Jurisdictionem in specie sic dictam (a) Imperium (b) est Jurisdictio (c) in coercitione (d) posita.

(a) Ità dividitur à *Duar. lib. 1. disp. c. 53. Vult. d. l. n. 3. Matth. Steph. d. l. c. 3. Hillig. in Don. lib. 17. c. 7. a.* Thom. Mich. *concl. 72.* *Muscorn. de Jurisd. n. 12. & seqq.* quæ divisio desumpta est ab effectibus Jurisdictionis generalibus: coercitione videlicet & cognitione; ità ut circa hanc Jurisdictio versetur, circa illam verò Imperium Valent Forst. *d. c. 86. n. 1. & seqq.* Matth. Steph. *d. l. n. 21.*

(b) Verbum Imperii homonymum est: aliquando enim denotat ipsum regnum, ut in *proem. Inst. §. 1. l. 7. §. 3. ff. de bon. damn.* quo sensu dicimus Imperium Romanum Imperium Turcicum



456  
cum &c. nonnunquam ipsum jus & potestatem Imperatoris exprimit de quib. Paurmeist. *lib. 1. de Jurisd. c. 9. n. 6.* Matth. Steph. *d.l. c. 6. n. 1. & seqq.* hinc pro jussu seu coercitione circa causas tam civiles quam criminales sumitur.

(c) Imperium Jurisdictionis speciem esse constat; quia sub titulo de Jurisdictione de eo tractat Imperator & quidem in actu (uti loquuntur Philosophi) signato. Propria enim & genuina ibi hujus materiae sedes est *l. 3. ff. b. t.* deinde in *l. 7. §. fin. ff. de offic. Procons.* dicitur potestas Proconsulis Jurisdictio plenissima, is autem tam merum & mixtum Imperium habet quam Jurisdictionem simplicem *l. 8. l. 9. in pr. l. 11. ff. eod.* Hillig. in Don. *lib. 17. c. 7. lit. a.* Matth. Steph. *d.l. c. 3. num. 21. & seqq.* Thom. Mich. *concl. 72. in pr.*

(d) Magistratus enim inobedientes coercere & punire potest *l. 2. in pr. ff. de in jus voc. ne elusoriū ipsius Imperium fiat, l. ult. in fin. ff. Ne quid in loc. publ. l. Si Praetor. 75. ff. de judic. Fachin. 12. contro. 96. Vult. d.l. n. 7. Trent. d. disp. th. 3. 4.*

### CONCLUSIO

#### III.

Quod iterum vel merum est vel mixtum (a) Imperium (b) est Imperium habens coercitionem (c) graviolem & atrociolem (d).

(a) Hæc divisio clare proponitur in *l. 3. ff. b. t.*

(b) Ità dictum in respectu ad mixtum, quod scilicet purum sit, & à Jurisdictione in specie dicta discretum. Dicitur aliquando simpliciter Imperium per excellentiam *l. 2. ff. de in jus. voc. l. 1. ff. quod quis jur.* ex eo quod in executione gravissima, in quâ vis Imperii elucet, positum sit Hillig. in Don. *d.l. c. 8. lit. uu.* nonnunquam potestas vocatur, puta similiter per eminentiam. *l. 3. b. t.* Germanis dicitur *Wallstz vnd Freisliche Obrigkeit / Sendliche Obrigkeit / Blutbahn / Peinlich Gericht vber Haut vnd Haar / Hals vnd Hant /* Matth. Steph. *d.l. c. 7. in pr.*

(c) In poenarum itaque consistit irrogatione: quo tamen non excludimus absolutionem à crimine, cum æquè absolutio ac damna-

damnatio meri Imperii sit, illa enim ex hac sequitur, & qui damnare potest, etiam absolvere potest, *l. 6. ff. de offic. Proc. l. 3. ff. de re jud. Franc. de Clap. de Juris d. conc. 4. n. 2.*

(d) Et hoc est quod JC. Ulpianus dicit esse potestatem gladii ad animadvertendum in facinerosos homines *l. 3. ff. b. t. ubi gladium non materialiter, quod vehementer urget Muscorn. de Jurisd. n. 41. & seq.* Sed pro potestate animadvertendi quovis modo ponit, eò quod honor gladii signum Imperii sit Matth. Steph. *d. l. c. 6 n. 101 120. 121.* Eodem sensu ponitur in *l. nemo 70. ff. de R. J.* Et Scriptura S. hoc verbo in tali sensu utitur, quando Paul. in epist. *Rom. 13 v. 4.* dicit; Non frustra Magistratum gerere gladium.

### CONCLUSIO

#### IV.

Gradus meri Imperii constituuntur tres (a) Primus tollit caput naturale (b) alter caput civile (c) tertius coercionem caput non tollentem (d) continet.

(a) Fundamentum hujus divisionis est in *l. capitalium 28. in pr. & s. i. ff. de pœn.* neque pœnæ sunt quæ ad hos gradus referri nequeant.

(b) Hoc est: ultimum supplicium irrogat *d. l. 28. in pr. junct. l. 21. ff. de pœn.* uti est pœna crucis, quam hodie veneratione signi salutis nostræ ex edicto Constantini legitimarum pœnarum numero subtractam dicunt Wesemb. *in par. ff. de pœn. n. 3.* Gothofr. *ad d. l. 28. verb. furcam.* Vult. *d. l. i. Jurisp. c. 54. n. 19.* Matth. Steph. *d. l. c. 8. n. 9.* Thom. Mich. *concl. 76. lit. c. Furcæ d. l. 28. in pr. l. 38. s. i. ff. de pœn. Cremationis l. aut damnum 8. s. hostes. 2. d. l. 28. pr. & s. ii. & seqq. d. l. 38. s. i. ff. de pœn.* Decollationis *d. l. 8. s. i. d. l. 28. pr. s. Item lex Julia 4. Instit. de publ. judic.* Strangulationis *d. l. 8. s. 1.* Submersionis *l. 9. pr. ff. ad l. Pomp. de Parricid. s. alia deinde 6. Instit. de publ. jud.* Dissectionis, Membrorum per rotam fractionis, in partes disruptionis P. H. D. Caroli V. *art. 124.* Quibus additur damnatio ad bestias *l. ii. in fin. l. 29. ff. de pœn. d. l. 9. in fin. pr. ff. ad l. Pomp. de parr.* quam hodie in desuetudinem venisse ejusque loco decollationem usurpari tradunt Wesemb. *in parat.*

parit. d. l. n. 3. Treutl. d. disp. th. 5. lit. d. Cujac. 13. observ. 10. Hoën. d. l. Præcipitatio de Saxo abrogata est per l. si diutino 25. §. 1. ff. de pœn.

(c) Id est: Pœnas infligit quæ vel libertatem cum civitate tollunt, uti est damnatio in metallum d. l. 28. de pœn. d. l. 8. §. 4. eod. quæ tamen abrogata est per Nov. 22. c. 8. vel civitatem tantum, uti deportatio, Interdictio aqua & igni per §. 2. Inst. de capit. de min. Referenda huc est de hodierno jure Proscriptio sive bannum Imperiale des Reichs Acht. Gail. lib. 2. de pac. publ. c. 1. n. 24. Matth. Steph. d. l. c. 9. num. 107. Damnatio ad triremes aut ad carceres perpetuos. Non tamen huc pertinet Excommunicatio. Abbas in c. cum contingat. de foro comp. Spiritualis enim & ecclesiastica pœna neq; libertatem neque civitatem tollit Bacchov. in Treutl. d. disp. th. 5. lit. e. in fin.

(d) Neque naturale neque civile, quare nec dici capitalis pœna poterit, nisi improprie & late accepto vocabulo l. licet 103. ff. de V. S. sed vel primùm ad corporis spectat coercionem, ut fustigatio l. 7. d. l. 28. §. 1. ff. de pœn. quæ non infamat nisi infamiae conjunctam causam habeat l. 16. §. seq. C. ex quib. caus. inf. & hanc pœnam non esse capitalem minus dubitari ait Goed. ad d. l. 103. de V. S. n. 4. licet ea de jure Saxonico inter capitales referri possit Wesemb. in parat. ff. de pœn. n. 3. Membri mutilatio. Nov. 128. c. 20. ibi. citra tamen & c. ubi expresse hæc pœna à capitali supplicio separatur Muscorn. de Jurisd. n. 84. §. seq. Matth. Steph. d. l. c. 10. num. 21. §. seqq. Regulariter autem præter manum nullum membrum amputatur Nov. 134. c. fin. Auth. sed novo jure. C. de servis fugit. ubi pedis abscissio abrogata. Hodie tamen ex constitutione Caroli V. linguæ & aurium abscissio obtinuit. W. H. D. art. 198. Pertinent huc reliquæ pœnæ corpus sine vitæ dispendio afficientes. Thom. Mich. conc. 78. b. Wesemb. hic n. 3. in fin. vel etiam ad existimationem referuntur: ut infamiae in criminalibus irrogatio d. l. 28. §. 1. ff. de pœn. Relegatio, quæ capitalis non est. d. l. 28. §. 1. l. publicorum. 2. ff. de publ. jud. §. relegati 2. Inst. quib. mod. jus patr. pot. & quæ sunt similes Wesemb. parit. ff. de quest. n. 5. Goed. ad d. l. 103. de V. S. n. 4. Vel denique ad damnum pecuniarium spectant.

B

Putat

457



Putat si multa fisco applicetur, tunc enim poena criminalis est  
*arg. l. multarum. 5. C. de mod. mult. l. 1. C. de fidejussor. & meri Imperii*  
*Muscorn. de Juris. n. 113. & seqq. Thom. Mich. conc. 78. lit. l. Matth.*  
*Steph. d. c. 10. n. 62. utpote quæ in corporale poenã converti potest*  
*l. 4. C. de Serv. fugit. l. 1. §. fin. ff. de poen. l. 7. §. 3. ff. de jurisd. l. fin. ff. de in jus*  
*voc. l. ult. in fin. C. de Sepulc. viol. l. ult. §. fin. C. de mod. mult. 2. Feud. tit.*  
*53 c. 1. in fin. ne inopia laborãtes impunè peccent, & leges poenã pe-*  
*cuniariam irrogantes eludantur. Unde regula nata: Qui non*  
*habet in ære, luat in corpore. Quàm Dd. rectè limitant, ita ut*  
*locum habeat in delictis, non verò in contractibus. Matth. Steph.*  
*d. c. 10. n. 64. seqq.*

### CONCLUSIO

V.

Acquiritur autem merum Imperium sola specia-  
li delatione (a) vel legis, vel S. C. ti, vel Principis (b).

(a) *l. 1. ff. de off. ej. cui mand.* Hinc fit, quod in alium transferri  
non possit *d. l. 1. l. 70 ff. de R. J. l. 6. ff. de off. Proc.* quod minus dubiũ  
est de jure civili *Wesemb. h. t. num. 11. Phil. Matth. ad d. l. 70. n. 3.*  
Excepto solo absentia casu, quo Imperium merum delegari po-  
test *per d. l. 1.* Ratio exceptionis est, quod per istam absentiam ipse  
Magistratus merũ Imperium exercere & in facinorosos animad-  
vertere nequeat, quod ne intermittatur, Reipubl. interest. Sed  
annon hoc ad casum infirmitatis extendi potest? Minimè, cum  
nulla id cautum sit lege. Facit quod in infirmitatis casu exce-  
ptionis ratio cesset: Potest enim quis, licet corpore laborans,  
exercere merum Imperium; cum ad ejusdem exercitationem vi-  
gor animi & prudentia imprimis requiretur, non corporis firmi-  
tas. Imbecillitas corporis autem excusationem munerum il-  
lorum non præstat quæ consilio prudentis viri obiri possunt *l. 2.*  
*§. 7. ff. de vacat. & excus. muner.* Hillig. in Don. *d. l. c. 8. lit. Ddd.*  
*Hoen. th. 7. lit. c.* Quamvis de hodierno jure etiam propter hanc  
causam id fieri possit. *Thom. Mich. th. 80 f. ubi plures.* Sed an hæc  
delegatio in solo violentia crimine, cujus *d. l. 1.* mentionem facit,  
obtineat, acriter disputant. Negantium placet sequi sententiam:  
Non enim dicit J. C. Ulp. quod is solus cui obtingit exercitio ju-  
dicii.

458

dicium de vi publica, imperium delegare possit; sed quod l. Julia de vi caveatur, ut is, cui obtigerit exercitio (sc. iudicii publici) possit eam, si proficiscatur, mandare: & ita ad alia quoque crimina publica hoc potest extendi, quam sententiam juvant l. procurator. 2. C. de poen. l. 3. C. Ubi caus. fisc. l. 4. C. adl. fab. de plag. Ubi dicitur, quod is, qui vicem Magistratus non gerit, publici iudicii executionem non habeat. Hinc colligunt Dd. à sensu contrario, quod argumentum firmissimum est: Qui absentis Magistratus vicem gerit, eam habere. Vicem autem Magistratus gerit is, cui mandata est Jurisdictio l. 16. ff. de Jurisd. gloss. in d. l. 1. ad verb. fortissimum ff. de off. ej. cuj. Matth. Steph. d. l. c. 18 n. 40. Thom. Mich. conc. 80. g. Resultat exinde alia quæstio: An hæc delegatio tam comprehendat executionem quam cognitionem? Sunt qui putant cognitionem saltem comprehendere, quos citat Fachin. 12. contr. 98. quibus tamen ipsa l. 1. de off. ej. obstat: Ubi Imperii exercitio delegari dicitur: non autem executione cognitio saltem continetur. Insuper regula in d. l. 1. non tantum de cognitione loquitur, sed de ipso Imperio: Exceptio itaque de eodem intelligenda: Fachin. d. c. 98. in fin. Bacchov. in Treut. à disp. th. 6. lit. d. Thom. Mich. concl. 80. lit. d. Sed an de jure Canonum Imperium merum delegari potest? Affirmat Wesemb. hic n. 11. Phil. Matth. ad l. 70. ff. de R. J. n. 8. & alii. Negantium opinio de jure verior est. Regulariter enim de jure Canonico Imperium mandari nequit, cum expressè de eo cautum non sit. Discrepancia autem non præsumitur in causis præsertim forensibus, nisi expressè de ea caveatur arg. c. 2. de nov. op. nunt. Giph. ad d. l. 70. de R. J. Fachin. 9. cont. 99. & 12. cont. 93. Matth. Steph. d. c. 18. n. 68. & seqq. Hillig. in Don. l. 17 c. 8. lit. Ccc. Thom. Mich. conc. 82. lit. a. Excepto tamen debilitatis & absentia casu c. si pro debilitate. 3. X. de offic. & potest. jud. deleg. Item inquisitionis adversus hæreticos c. 1. clement. de hæret. quod in favorem fidei & religionis receptum Fachin. d. l. 9. c. 99. & 12. cont. 93. Quaritur ulterius an Imperium merum præscribi possit? Non potest; Quia non potest transferri nec alienari. E. Neque Usucapi. arg. l. 2. C. de Usucap. pro empt. c. dudum. X. de decim. cum Usucapio sub alienatione conti-

neatur l. 28. ff. de V. S. quod maximè de jure Justiniano procedit: De consuetudine vero hodierna tum mandari, quia sub Magistratus nomine hodie merum Imperium datur ejusque annexum est officio Matth. Steph. d. c. 18. n. 71. Hillig. d. c. 8. lit. Ccc. in fin. tum præscribi posse tradunt *Dd. comm. Wesemb. h. t. n. II. Thom. Mich. conc. 85. lit. b.*

(b) Qui si alicui castrum cum Jurisdictione concesserit, an eo ipso merum Imperium concessisse videatur? Ita statuere quidam non dubitarunt; quod tamen de veritate juris vix obtinet: Specialiter n. merum Imperium dari debet per sæpe *d. l. i. ff. de offic. ej. cuj.* nisi forsan cum plenissima & omnimoda Jurisdictione *mit. Ho- hen vnd Nider Berichten* Princeps concesserit *Treutl. thes. 6. f. Matth. Steph. d. l. n. II.* Convenienter hinc quæritur an uti Princeps ita etiam Principis Delegatus meri Imperii causas delegare possit? Quod nego, cum de eo cautum non reperiatur. Ergo Regulæ *in d. l. 70. de R. J. standum.* Facit, quod nemo, nisi qui suo jure habet Jurisdictionem mandare possit *l. 5. ff. h. t. l. fin. ff. de offic. ej. cuj. d. l. i. eod. Obrecht. de Jurisd. cap. 5. num. 24. Fachin. i. cont. 47. § 12. cont. 97.*

### CONCLUSIO

#### VI.

Competebat initiõ Reipubl. Romanæ merum Imperium Regibus (a) quibus exactis ad Consules (b) devolutum est. Etiam id habuerunt Dictatores (c) & Decemviri (d). Deinde verò pluribus Magistratibus communicatum est (e).

(a) Quorum Imperium uti summum erat, & in tyrannidem degenerabat, ita diu non constitit: vid. *Liv. lib. I. Jul. Flor. in hist. Rom. lib. I. c. 7. Valent. Forst. hist. jur. lib. I. c. 15. n. I. Dress. millen. 4. f. m. 411.*

(b) Qui tamen id diu non habuerunt; primo namque anno eis ademptum est *Liv. lib. I.* nam lege lata factum est, ut ab eis provocatio esset, neve possent in caput civis Romani injussu populi animadvertere. Solum relictum est eis ut coercere possent & in vincula duci juberent, *l. 2. §. exactis. 16. ff. de O. J.* (c) Ho-

459  
(c) Horum Summa & regia ferè potestas erat, quippe qua nec provocare licuit. Ne autem in tyrannidem ea potestas abiret, ultra sex menses eam retinere nulli fas erat *d. l. 2. §. 18. ff. de O. I.* Primus tamen Dictator perpetuus factus est C. Julius Cæsar. *Flor. lib. 4. c. 2. Forst. lib. I. hist. jur. c. 17. n. II.*

(d) Qui abdicatis Coss. à populo creati fuerunt legum à Græcis petendarum causa, quibus per annum summa fuit concessa potestas: Sed ipsorum insolentia brevem ipsis imperii finem fecit. *d. l. 2 §. 4. & §. 24 ff. de O. I. Liv. lib. 3. Halicarn. lib. 10. Flor. lib. I. c. 24. Forst. hist. jur. lib. I. c. 23. n. I. & seqq.*

(e) Uti fuere Præfectus prætorio *l. 3. C. de off. præf. prætor. l. un. ff. de off. Præf. prætor. Wesemb. in parat. ff. eod.* Thom. Mich. *conc. 79. d.* Præfectus Urbi, qui jus hoc intra urbem & intra 100. lapidem habere dicitur *in l. 1. pr. & §. 4. ff. de offic. Præf. urb. qui omnibus Magistratibus antecellere dicitur in l. 3. C. de off. Præf. urb. qui que in insulam deportandi jus habet. l. 2. §. 1. in fin. ff. de pæn. l. 6. §. 1. ff. de Interdict. & releg. Wesemb. in Parat. ff. de offic. Præf. urb. item Proconsul l. 7. §. fin. l. 8. l. 9. ff. de offic. Proc. & Præsides provinciarum, qui licet merum Imperium habuerint *l. 3. & 4. l. 6. §. 8. l. 10 ff. de off. Præs. justamen in Insulam deportandi non habuerunt l. 2. §. 1. ff. de pæn. d. l. 6. §. 1. ff. de interdict. & releg. Wesemb. parat. ff. de offic. Præf. Thom. Mich. conc. 81. lit. d. Treutl. th. 6. lit. c. Hoën. th. 5. lit. u.* Labet hinc quærere, an hodie Rectores Academiæ ex *Auth. Habita. C. ne fil. pro pat. habeant merum Imperium?* Negantibus placet addere calculum: Quia ex *d. Auth.* hoc nequit probari, neque illa verba, quibus hanc Jurisdictionem dedimus, id arguunt, cum sub Jurisdictionis concessione merum Imperium non veniat, utpote quod specialiter dari necessum est. Hinc videmus plerasque Academiæ mero Imperio destitutas esse; Et si quæ sunt, quæ id habeant, non ex *d. Auth.* sed ex speciali Principis concessione habere dicendum est. *Donell. 17. comm. 20. Heig. p. 2. q. II. n. 7. & seqq. Cujac. in d. Auth. habita. Muscorn. de Jurisd. num. 75. & seqq.**

## CONCLUSIO

### VII.

Exerceri autem potest in quosvis homines (a) maleficos & facinerosos (b) qui in jus dicentis territorio deliquerunt (c).

(a) Vivos quidem: In defunctorum enim cadavera id exerceri nequit, cum omnia crimina morte extinguantur *l. 6. ff. de pub. jud. l. 2. C. si reus vel accus mort. l. fin. ff. adl. Jul. Majest.* nisi scelus atrox commissum fuerit, quale est crimen perduellionis, si quis contra Rempubl. aut Imperatorem molitus fuerit *§. publica 3. Instit. de publ. jud. §. per. contrarium. 5. Instit. de heredit. ab intest. l. fin. ff. adl. Jul. Majest. l. 6. & seqq. C. adl. Jul. Majest. A. B. tit. 24.* Item alia crimina, propter quæ reis jus sepulturæ negatur, puta si reus sibi ipsi mortem consciverit *l. fin. §. 6 ff. de bon. eor. qui ant. sem. qua casus distinguit.* Wesemb. parat. *ff. de cadav. punit. Matth. Steph. d. c. 6. n. 133. & seqq. Heig. p. 2. q. 37. n. 36 39. 50. Muscorn. de Jurisd. n. 51. & seq.* Addunt Canonistæ Monachum, qui moriens non revelaverit, quam vivus habebat, pecuniam *c. cum ad monasterium 6. X. de stat. Monach. Heig. d. n. 39.* Sed num rectè punitorum quorundam cadavera, uti suspensorum & rotis impositorum insepulta relinquuntur? Excusari potest, quam quidam hîc prætendunt, crudelitas, cum id moribus, qui leges in potestatem suam trahere solent *arg. §. II. Instit. de Jure N. G. & Civ. receptum sit,* non solum in pœnam delinquentis, sed etiam ad terrorem aliorum: multi enim citius hac publicâ ignominia à sceleribus avocantur, quàm ipsa mortis pœna *Heig. d. q. 37. n. 24. 26. 43. & passim. Matth. Steph. d. c. 6. n. 161.* Non incongruè hic quaeritur, an punitorum cadavera Medicis ad anatomen concedenda? Quod affirmandum; facit enim ad perfectiorem artis medicæ cognitionem, quæ magnam Reipubl. fert utilitatem. Neque enim id in injuriam cedit ejus qui ità secatur: Non enim Magistratus injuriandi animo concedit, sed Reipubl. causa, quare ex hoc facto injuriarum teneri nequit *l. quod Reipubl. 33. ff. de injur. Muscorn. de Jurisd. n. 51. Franc. de Claper. de Jurisd. conc.*



460  
*conc. 4. n. 2.* Non autem poenae destinati vivi Medicis concedendi sunt ad sectionem, propter facti atrocitatem *Hoën. d. disp. th. 4. K.* Occurrit quaestio de brutis, an in ea merum Imperium exerceri possit? Sanè videmus aliquando & ipsa bruta propter crimen, p. Sodomiam cum illis commissam occidi; quod & jure divino *Levit. 20. v. 15.* constitutum est. Verùm id non ad poenam brutorum fit, quæ crimen committere nequeunt, cum rationis capacia non sint: Sed potius ad tollendam rei tam horrendæ & indignæ memoriam *c. mulier. 15. quest. 1. Muscorn. de Jurisd. n. 46. Matth. Steph. d. c. 6. n. 166.*

(b) An etiam si furiosi sint? Non puto; præsertim si in ipso furoris momento deliquerint, cum satis ipso furore puniantur *l. 14. ff. de offic. pres.* Non enim habent voluntatem aut consilium delinquendi *l. 40. ff. de R. 7.* quare nec deliquisse dici poterunt *l. 53. in pr. ff. de furt. l. 5. C. de injur.* Doli etiam & culpæ expertes sunt *l. 5. §. 2. ff. ad l. Aquil* eosque fati infelicitas excusat *l. 12. ff. ad l. Corn. de sic.* neque injuriam facere possunt *l. 3. §. 1. ff. de injur.* Secus est, si deliquerint furore intermisso ad tempus, & postea redeunte *d. l. 14. de offic. Presid. ibi. nec morbo ejus & c.* Quo tamen casu exactissimè ponderatis circumstantiis id arbitrio judicis committi æquissimum ducit *Fachin. 9. cont. 3. in fin.*

(c) Non habitâ ratione unde sint *l. 3. in fin. ff. de offic. Presid.* ipsum enim delictum Judici Jurisdictionem tribuit *l. 7. §. 4. de accusat. l. 11. in pr. ff. de custod. & exhib. reor. d. l. 3. ff. de offic. Presid. l. 1. & Auth. qua in provincia. C. ubi de crimin. l. 1. C. ubi Senat. vel Clariss. Wesemb. parat. ff. de accusat. n. 7. Thom. Mich. conc. 89. lit. a. & seqq.* Aliquando etiam delinquentes, præter locum, ubi deliquerunt, ubicunque reperiuntur, conveniuntur *d. l. 1. C. ubi de crimin.* qui tamen ad repetitionem judicis ejus loci ubi delictum commissum est, remitti debent *Nov. 134. c. 5.* maximè si res adhuc integra & nondum coram judice altero judicium captum sit, alioquin coram eo perfici debet *l. 30. ff. de judic. Fachin. 9. cont. 21.* De consuetudine tamen Germaniæ reos non remitti ad locum delicti, sed in loco captivitatis puniri testatur *Gail. lib. 1. de pac. publ. c. 16. n. 30. Wesemb. parat. ff. de accusat. n. 8. Thom. Mich. conc. 91. lit. b.*

nisi



nisi aliquando in atrocioribus delictis propter exemplum precario & ex amicitia ac vicinitate remissio fiat, eaque sub antigrapho sive literis reversalibus, talem remissionem non fore præjudicio remittentis Jurisdictioni Gail. *d. l. Treutl. tb. 8. lit. f. in fin.* Hillig. *in Don. lib. 17. c. 16. lit. I. Matth. Steph. d. c. 30. n. 17.*

### CONCLUSIO

IIX.

Sequitur Mixtum (a) Imperium, quod est Imperium cui etiam Jurisdictio inest (b) quodque jure Magistratus (c) proprio (d) competit (e).

(a) Sic dictum in respectu ad merum, quod uti ab omni Jurisdictione simplici separatum est, ita hoc cum ea cohæret *l. 3. ff. de Jurisd. vocatur etiam non merum l. fin. §. 1. ff. de offic. ej. cuj. mand.*

(b) *d. l. 3. ff. h. t.* hoc est: quod officio & potestate jus dicentis mixtum est. Non autem exinde sequitur quod cum jurisdictione idem sit; sed saltem quod alterum alteri inest: Diversa itaque sint, necesse est, cum idem sibi ipsi inesse non possit. Differunt enim maxime ratione actuum, quamvis non ratione personæ exercentis. Imperii enim vis est jubere, exequi; Jurisdictionis verò cognoscere *Matth. Steph. c. 5. n. 48. & seqq. Treutl. tb. 3. lit. b. Hillig. lib. 17. c. 8. lit. Z. & CC.* Sic & Jurisdictio sine Imperio mixto non est, *l. 1. in fin. l. ult. in fin. ff. de off. ej. cuj.* quia illa sine hoc explicari nequit *l. 2. ff. h. t. d. l. ult. ff. de off. ej. Wesemb. h. t. n. 7. Thom. Mich. conc. 98. 99.*

(c) Quod expeditius est in Magistratu Romano, uti id inde liquet, quando Prætor dicitur aliquid jubere, vetare aut aliud quid pro Imperio agere *l. 4. ff. h. t. l. 3. & 4. ff. Ne vis fiat ei. qui l. un. §. 1. & 3. ff. si mulier. ventr. nom. l. 1. §. 2. & seqq. ff. de ventr. inspic.* Sed quid de municipali? Et ipsum mixtum Imperium habere verius est. Jurisdictionem enim habet *l. un. ff. si quis jus dic.* Ergo etiam modicam coercionem, quæ mixtum Imperium est, sine qua illa explicari nequit *l. 2. ff. h. t. l. fin. ff. de offic. ej.* Licet autem non omnia quæ Imperii magis sunt

401  
sunt quàm Jurisdictionis, id est, in quibus Imperium magis elucet,  
facere possit *l. 26. in pr. ff. admunicip.* Coercitio tamen, sine qua  
Jurisdictio ipsius redderetur elusoria, ipsi non denegatur. *l. 12. ff.  
b. t.* Sic etiam pignoris capionem habet *l. 29. §. 7. ibi. quod dicendū  
ff. ad l. Aquil.* & alias coercitiones leviores Vult. *d. l. c. 13. n. 85. &  
seqq.* Quamvis autem bonorum possessionem dare nequeat *d. l.  
26. ff. admunicip.* exinde tamen non licet arguere, eos non ha-  
buisse mixtum Imperium, cum negatâ unâ specie non negetur  
genus Matth. Steph. *d. l. c. 12. n. 35.* Notandum tamen est de jure  
Codicis etiam bonorum possessionem ipsum dare posse *per l. fin.  
ubi Gothofr. C. qui admitt. ad bonor. possess.* Cujac. 17. *observ.* 19.  
Thom. Mich. *conc. 101. lit. g.* Hillig. *d. c. 8. lit. ff.*

(d) *l. 4. ff. de off. ej. cuj.* Licet autem ipsis Jurisdictio à Principe  
vel populo detur, tamen suo jure hoc Imperium habent. Eo ipso  
n. quomagistratus creantur, id habere dicuntur Bodin. *de Republ.  
lib. 3. c. 7. n. 304. vers. ex quibus.* Thom. Mich. *conc. 110. lit. b.*

(e) Hinc fit, quod delegari possit *l. 1. ff. de offic. ej. cuj. l. fin. ff. eod.  
Wesemb. b. t. n. 11.* Vult. *1. Jurisp. c. 14. n. 7.* Fachin *9 contr. 98 & 12.  
cont. 96.*

## CONCLUSIO

### IX.

Vis hujus Imperii potissima manifestatur in dan-  
da bonorum possessione (a) restitutione in integrum  
(b) jure mulctandi (c) incarcerandi (d) & id genus  
aliis (e).

(a) *l. 3. & 4. ff. b. t. l. 4. §. 1. ff. de off. ej. cuj.*

(b) *per l. 3. ff. de in integ. restit. d. l. 26. ff. admunicip. l. 1. §. 10. ibi. nisi  
sicubi. ff. de postul.*

(c) *l. aliud fraus. 131. ff. de V. S. l. 2. §. fin. ff. de jud. l. 9. in fin. ff. ad l.  
Jul. pecul. l. 2. §. 1. ff. si quis in jus voc.* Quod procedit, si multa ex  
causa civili; Secus si ex criminali infligitur, tunc enim ad merū  
Imperium pertinere constat *ex supra dictis concl. 4. lit. d. vid. Thom.  
Mich. conc. 102. lit. c. Treutl. th. 4. lit. e. Matth. Steph. d. l. c. 10. n. 62.*

(d) *d. l. 9. in fin. ff. ad l. Jul. pecul. l. in jus 2. ff. de in jus voc.*

(e) Veluti in stipulationibus rem ratam haberi, Judicatum,

C

solvi,

104  
solvi, iudicio sisti, quæ ex Prætoris Jurisdictione interponi solent  
*d.l.4.b.t.l.1. §. 10. & t.t. ff. de prætor. stipul. t.t. ff. rem ratã hab. t.t. ff. ju-  
dic. solv. l.1. & t.t. ff. si quis caut. in jud. sist. Wesemb. parat. ff. de prætor.  
stipul. n. 6. & t.t. seqq.* Item damni infecti nomine caveri *l.5. in pr.  
vers. prætorie. ff. de V. O. §. prætorie. 2. Instit. de divis. stipul. l.1. ff. de  
damn. infect. l.4. §. fin. ff. de offic. ej. cuj. & quæ sunt similes.*

### CONCLUSIO

#### X.

Agendum restat de Jurisdictione in specie (a) di-  
cta (b) quæ est Jurisdictio in causâ (c) cognitione (d)  
posita cum potestate juris dicendi (e) jure Magistratus  
competens (f).

(a) Quæ an detur, quidam disputant. Dari constat, quia dif-  
ferunt Jurisdictio & mixtum Imperium *suprà ex th. 8. lit. c. facit. l. 3.  
ff. b. t.* Ubi hæc tria discernuntur: Merum Imperium, mixtum  
Imperium & Jurisdictio; unde Imperium & Jurisdictio sibi invi-  
cem opponuntur *in l. 4. ff. b. t. l. 6. §. 2. ff. de tutel.*

(b) Vocatur aliàs apud Interpretes Jurisdictio bassa, seu infe-  
rior: Item Jurisdictio simplex, eò quod sine omni tum mero  
tum mixto Imperio exerceatur. Cum enim Magistratus jus di-  
cit, propriè non imperat, licèt idem Magistratus imperio mixto  
non sit destitutus. *suprà th. 8. lit. c.*

(c) Civilis nimirum: per hoc enim à Jurisdictione criminali  
sive mero Imperio discernitur. Non tamen omnes civiles cau-  
sas intelligo, sed eas duntaxat, super quibus jure Magistratus jus  
dici potest. Sunt enim causæ quæ nominatim à lege, Scto vel  
Principe tribuuntur, ut sunt Datio Tutoris, quæ neque Jurisdi-  
ctionis est, neque Imperii *l. 6. §. 2. ff. de tutel.* Cognitio de suspecto  
Tutore *l. 1. §. 3. ff. de susp. Tutor. l. 1. §. 11. ff. ad SC. Turpill.* quæ licet  
mandari possit, non tamen Jurisdictionis est, cum id specialiter  
ob favorem & utilitatem pupillorum receptum sit *l. 4. ff. de offic. ej.*  
Cognitio de transactione alimentorum *l. 8. in pr. & §. 17. cum seq.  
ff. de transact.* & quæ sunt aliæ. Heig. *ad pr. Inst. de Attil. Tutor. n. 4.  
Trentl. d. disp. th. 2. lit. d. Thom Mich. conc. 104. & seqq.* Contrarii a.  
illi

462  
illi non sunt, quia ea jurisdictionis Legalis esse docent ut sunt  
Matth. Steph. *d. l. c. 4. n. 1. & seqq.* Franc. de Clap. *de Jurisd. conc. 24.*  
*n. 1.* Thom. Mich. *d. l.* & plures alii. Nonnulli ea jurisdictionis ex-  
traordinariæ esse dicunt, è quibus est Ungep. *exercit. Justin. 4. th. 7.*  
qui licet verbis discrepent, re tamen conveniunt. Hodie autem  
Tutoris dationem jurisdictionis esse ex consuetudine, cum qui-  
vis Magistratus ordinarius Tutorem dare possit, monet Matth.  
Steph. *d. c. 4. in fin.*

(d) Quæ fieri potest vel à Magistratu jurisdictione prædito,  
vel à Judice à Magistratu ad id vi suæ jurisdictionis dato. Unde  
Ulp. *in l. 3. in fin. ff. b. t.* dicit: Jurisdictio est etiam Judicis dandi li-  
centia: quod exempli saltem causâ proponit. Matth. Steph. *d. l.*  
*c. 5. n. 29.* Quanquam autem Judex datus, si judicare nolit, vi Im-  
perii ad id cogi potest, non tamen sequitur actum judicis dationis  
esse Imperii, Treutl. *th. 4. a.* Notandum hîc est, quod Prætor ipse  
judicare non fuerit solitus, nisi extraordinariè: Sed actionem &  
judicium dare promiserit, quod multis ll. probat Thom. Mich.  
*conc. 106. lit. a.*

(e) Jus dicens à Judice dato distat; ille enim jurisdictionem  
potestatemque juris dicendi habet *l. 1. ff. b. t. l. 12. ff. de vulg. & pupill.*  
*substit.* qualis erat Prætor. Hic verò cognoscere & judicare  
saltem potest de quæstione facti, non de juris. *l. 1. §. 4. ff. ad SC. Tur-*  
*pill. l. 15. in fin. pr. ff. ad municip.*

(f) Hinc fit quod mandari possit *l. 1. in pr. ff. de off. ej. cuj.* ab eo  
qui eam suo jure habet *l. 5. ff. b. t.* Is vero cui mandata est, quam-  
vis ulterius eam mandare non possit *l. 5. in pr. ff. de off. ej.* Judicem  
tamen dare non prohibetur *l. 12. ff. de off. proc. l. 12. §. 1. ff. de judic.*  
Unde patet inter mandatam jurisdictionem & judicem datum  
differentia.

## CONCLUSIO

### XI.

Succedit alia jurisdictionis divisio in voluntariam  
& contentiosam (a). Utraque ex re nomen cepit; illa  
est quæ involentes (b) hæc quæ incontententes & in-  
vitos exercetur. (c)

C 1

(a) Pro-

(a) Proponitur hæc distinctio in *l. 2. ff. de off. Proc. Gloss. in l. 1. verb. consilium ff. de offic. Cos. & in l. 1. ff. de offic. Prat. Wesemb. in parat. de Jurisd. n. 8.*

(b) Sine omni Judicii strepitu, etiam in ædibus privatis, quolibet loco aut tempore. Huc refertur Adoptio *l. 2. ff. de off. Proc. Manumissio d. l. 2. præsertim ea quæ per vindictâ fiebat, alii namque modi plerumque inter privatos nullo Magistratu interveniente fiebant. Dd. ad § 1. Inst. de libertin.* Pertinet huc Emancipatio, quæ utique voluntariæ Jurisdictionis est, cum non nisi volens & consentiens filius emancipari queat *Nov. 89. c. II. nec pater ad filium emancipandum cogi §. fin. Inst. quib. mod. jus patr. pot. l. 31. ff. de adopt. nisi ex certis quibusdâ causis in jure expressis l. fin. ff. si à parent. quis manum. l. 12. C. de Episcop. audi. l. 92. ff. de condit. & demonstr. l. 3. §. 6. ff. de minor. l. 32. in pr. ff. de adopt.* Insinuatio donationis *l. in hac 30. C. de donat. Gail. 2. observ. 39. n. 28.* & quæ alia sunt de quibus Dd. plura.

(c) Vi sc. Imperii. Vult. i. *Jurispr. 12. n. 15.* Causas enim tam continet criminales quam civiles, de quibus jus dicendum.

### CONCLUSIO

#### XII.

Quæ rursus vel (a) propria (b) est, vel aliena (c). Hæc vel mandata, quæ à magistratu (d) mandatur alteri (e) vel prorogata (f) quæ partium (g) consensu prorogantur.

(a) Colligitur hanc distinctio ex *l. 3. & 4. ff. de off. ej. cuj. l. 5. ff. de Jurisdic.*

(b) Quam quis jure suo proprio *l. 5. ff. b. t. sive jure Magistratus habet l. 1. ff. de off. ej. cuj.*

(c) Quam quis non suo jure, sed ab alio sibi demandatam habet per *dd. ll.*

(d) Utpote qui eam jure proprio habet. Et hoc necessum est, ut is Magistratus sit, alius enim demandare non potest, *l. 5. ff. b. t. l. fin. ff. de off. ej.*

(e) Non solum Magistratui sed & privato, per *l. fin. §. 1. ff. de off. ej.* Et hic nihil proprii habere intelligitur, sed mandantis Jurisdi-

risdictione utitur l. 1. §. 1. l. 3. ff. cod. Solus tamen Proconsul, postquam provinciam ingressus est, Jurisdictionem Legato suo ita mandat, ut eam propriam habere videatur l. 4. §. fin. ff. de offic. Procos. l. 13. ff. cod. l. 4. in pr. ff. de off. ej. cuj. Vult. 1. Jurispr. c. 13. n. 19. & seq. c. 14. n. 15 Matth. Steph. d. l. c. 16. n. 61. Thom. Mich. d. l. conc. 124.

(f) Prorogare Jurisdictionem nihil aliud est, quam jurisdictionem, quæ jam est, ulterius extendere & dilatare: quod enim non est, quomodo prorogari potest? Quare non nisi in Magistratum prorogatio fieri potest, & quidem à privatis: qui licet Jurisdictionem alicui de novo tribuere nequeant l. 3. C. de Jurisd. Jurisdictionem tamen quâ Magistratus præditus est, ad alia quæ judicanda ipsi aliàs non competere, extendere possunt l. 1. l. 47. §. 1. ff. de judic. l. 28 ff. ad municip. l. 14. l. 18 ff. de Jurisd. Quod utique de Jurisdictione propria minus dubium est. Sed quid de Jurisdictione mandata? Licet quidem propriam Jurisdictionem delegatus non habeat l. 1. §. 1. ff. de off. ej. non tamen nullam habere dicendus est. Mandantis enim Jurisdictione utitur d. l. 1. ejusque partibus ac vice fungitur l. 3. ff. de off. ej. l. 16. ff. de Jurisd. mandantisque beneficio Jurisdictionem habere dicitur l. 5. ff. h. t. Quare cum aliquam Jurisdictionem delegatus habeat, nil obstat, quo minus ea à partibus prorogari possit. l. 1 ff. de Judic. Sed hoc de Jure Civ. Secus est de jure Canonum, quod hac in parte secessionem ab illo fecit c. cum olim 32. X. de off. & potest Jud. deleg. Hillig. l. 17. c. 10. lit. p. & seq. Hunn. tract. de Jurisd. part. 2. q. 8. Thom. Mich. conc. 146. lit. c.

(g) Litigantium: ita ut semper id fiat à privatis Vult. d. l. c. 14. in fin. Quod tamen fallit in Clerico, hic enim Jurisdictionem Laici prorogare prohibetur c. si diligenti 12. X. de foro comp. An etiam in studiosis? Quamvis jure civili non prohibeantur (Regula enim in l. 14. de Jurisd. generalis est, cui utique usque ad exceptionem expressè probatam standum, tum etiam quilibet favori pro se introducto renunciare potest l. 29. C. de pact. hoc autem in fovorem studiosorum introductum est, ut non nisi coram Magistratu Academico conveniri queant Auth. Habita. C. ne fil. pro patr. quod privilegium licet ad omnes Scholares pertineat, in



singulis tamen juris privati esse rectè docet Matth. Steph. *d.l.c.22. n.36.*) Tamen de hodierna consuetudine studiosus Urbano Magistratui se submittere nequit, attestantib. Hillig. *d.l.17.c.20.lit.K.* Matth. Steph. *d.l.*

## CONCLUSIO

### XIII.

Exercetur Jurisdictio in quosvis (a) qui forum jus dicentis sortiuntur. Quod fit ex persona vel propria (b) vel aliena. (c)

(a) Non autem sibi suisque jus dicere quis potest *l.10. ff. de Jurisd. l. un. C. Ne quis in sua caus.* nisi forsan quis in patrem aut Patronum adversarii consenserit, eumque Judicem elegerit: tunc enim juri suo renunciat, quod omninò facere potest *l. pen. C. de pact.*

(b) Hoc modo quis forum sortitur vel (1) ratione domicilii *l.2. C. de Jurisd.* quod ubi quis habeat, dicitur *in l.2. C. ubi Senat. vel clariss. l.7. C. de incol. Gail.2.observ.35.n.8.* vel (2) ratione contractus *l.2. §.4. l.45. ff. de judic.* ità ut in loco ubi contractus celebratur, quis conveniatur: Locus autem contractus intelligitur is, in quem solutio collata est *l.7. ff. de reb. aut jud. possid. l.21. ff. de O. & A.* Hillig. *l.17. c.14. lit. A. & seq.* Matth. Steph. *c.19.n.6.* vel (3) ratione conditionis: Sic proprium forum sortiuntur personæ privilegiatæ: Studiosus n. coram alio Judice quam Rectore suo conveniri nequit *Auth. Habita. C. Ne fil. pro pat.* Miles coram Magistratu suo militari conveniendus est. *l. fin. C. de Jurisd.* item personæ miserabiles quæ extra terminos provinciarum suarum non evocandæ *l. un. C. quand. In per. int. pup.* vel (4) Ratione delicti. Si scil. civiliter agatur & tunc ferè convenit cum ea causa qua quis forum sortitur ex contractu; cum voce contractus omnes conventiones obligationem producentes hîc intelligamus *l.20. ff. de judic.* Matth. Steph. *d.l.c.29.n.3.* Hillig. *c.12. lit. a.* de delictò publico ex quo criminaliter agitur actum est supra *conc. 7. lit. c.* vel (5) ratione rei sitæ: ità ut reus in loco ubi res, de qua lis est, sita est, com-



464

comparere cogatur, licet domicilium ibi non habeat. *l. fin. C. ubi in rem act.* hinc enim non tam ad personam, ut quæ actori obligata non est, respicitur, quam ad rem de qua controversia est §. 1. *Instit. de act.* quod etiam procedit in clerico, qui iudicium sub quo res sita est, sequi tenetur, per ea quæ tradit Gail. *1. observ. 37. Treut. tb. 8. lit. g.* Sed num actio in rem institui potest in loco domicilii, si alibi res litigiosa sita est? Affirmat *l. un. C. ubi de hered. agi oportet. l. un. in pr. C. Ubi in rem act.* Matth. Steph. *c. 31. n. 9. & seq. Vult. in d. l. un. C. ubi in rem n. 6.* vel (6) Ratione causæ. Sic Ecclesiasticæ causæ coram Magistratu Ecclesiastico ventilantur *c. conquestus 16. X. de for. comp.* Feudales coram Domino feudi tractantur, si inter Vasallos oriatur controversia: Si verò inter Dominum & Vasallum, coram paribus curiæ. *2. Feud. 55. in fin.* vel denique (7) ratione causarum continentiæ. Causæ autem continententes sunt, quæ commune requirunt iudicium, ita ut una sine altera cognosci & definiri nequeat. Quia igitur hæ causæ separari & dividi nequeunt, *l. 10. C. de judic.* necessum est ut omnes rei, qui ex eadem causa conveniuntur, licet diversi fori sint, coram uno ipsorum omnium supremo iudice litem tractent *l. 1. ff. de quib. reb. ad eund. judic.* Gail. *1. observ. 32. Matth. Steph. c. 32. per tot.*

(b) Ità heres tenetur sequi forum defuncti *l. 19. ff. de judic.* Hil- lig. *lib. 17. c. 11. in pr.* Sic etiam uxor sortitur forum mariti *l. 65. ff. de judic.*

## CONCLUSIO

### XIV.

Finitur Jurisdictio Ordinaria morte ejus cui com- missa est, (a) item abusu, (b) non usu & præscriptione, (c) ob denegatam justitiam (d) in singulis verò causis finita instantia vel lite (e). Delegata solvitur morte mandantis, (f) tempore elapso (g) revocatione (b). Prorogata verò pœnitentiâ (h) perit,

(a) Non

(a) Non autem morte committentis. *c. 2. de off. leg. in 6.* quia in exercentis persona, non autem in mandantis (ut ita vocabulo mandantis generaliter utamur pro eo qui alicui Magistratum, & eo ipso Jurisdictionem tribuit) fundata est. Jure n. proprio Magistratui competere, supra ostensum est.

(b) Puta ob nimiam in subditos severitiam *arg. §. 2. Inst. de his. qui sui vel al. jur.* Gail. 1. obs. 17. n. 2.

(c) *c. cum persona 7. de privileg. in 6.* Ita si per prohibitionem, alterius possessio interversa sit. Longovall. *de Jurisd. part. ult. c. ult. n. 2.* Wesemb. *parat. h. t. n. 14.* Matth. Steph. *c. 36. n. 16. & seqq.* Treutl. *th. 12. lit. b.*

(d) Non tamen in totum, sed saltem quoad illam causam *Auth. statuimus, §. sancimus C. de Episc. & Cler. Nov. 17. c. 3.* Gail. 1. observ. 28. *in pr.*

(e) *l. 13. C. de Judic.*

(f) Sires adhuc integra sit *l. 6. ff. de Jurisd.*

(g) *c. de causis 4. X. de offic. judic. deleg.*

(h) à delegante facta *l. 58 ff. de judic.*

(i) Si antequam iudex adeatur, partium vel alterutrius mutata voluntas fuerit *l. 18. ff. h. t.* Non autem locum habet poenitentia, si quis in eum consenserit, quem ob privilegium exceptione fori saltem declinare potest *l. pen. C. de pact.* Treutl. *d. l. th. 12. lit. b.* Thom. Mich. *conc. 147 f.* Sed an locum habeat, ubi jurejurando pactum est firmatum? Non. Juramentum enim obligat jurantem *c. cum contingat 28. de jurejur.* Fachin. 1. *contr. 61.* Matth. Steph. *d. l. c. 39. n. 42.* Hœn. *d. disp. 1. th. 11. lit. K.* Hæc de Jurisdictionis materia proposita sint. Excipiat hanc disputationem Corollarium de Potestate Imperatoris Germani, ex jure publico desumptum. Sit itaque

## CONCLUSIO

XV.

Hodie Imperator noster Romano-Germanicus  
(a) potestatem omni Jurisdictione majorem (b) habet,  
(c) eamque à solo Deo (d) mediante non Papa  
Romano

265  
Romano (e) sed Serenissimorum Electorum (f) electione (g).

(a) Ita Imperator jure nominatur: quia & olim translata in Græciam Imperii sede, nihilominus Romanus dictus est. Ita n. se vocat Imper. Justinianus in l. 35. C. de inoffic. test. l. 1. §. 10. in fin. C. de Vet. jur. enunc. Ubi enim Imperator est, ibi Roma. Herodian. in vita commodi. Cluten. in Syllog. rerum quotid. conc. 6. in fin. Unde & Germania nostra, quæ sedem & culmen Imperii sustinet, Roma dici potest. Hinc Romano-Germanicus Imperator noster dicitur. Romanus quidem ratione originis Imperii, Germanus verò ratione subjecti recipientis Heig. part. 1. q. 4. n. 28. 29. Matth. Steph. de jure publ. vol. 2. disc. 17. conc. 1. lit. a. Schonborn. 5. polit. 4. circa fin. hinc Imperium vocatur das heilige Römische Reich Deutscher Nation.

(b) Quippe quæ legibus soluta est l. 31 ff. de ll. Nov. 105. c. 2. in fin. non quod libidini ejus omnia pateant, aut quod omnibus omnino legibus solutus sit. Non enim naturalibus, non divinis, non legibus imperii solutus est, sed demum civilibus: quamvis digna vox sit Majestate regnantis, legibus alligatam se profiteri l. 4. C. de legib. l. 23 ff. de legat. 3. §. fin. Inst. quib. mod. testam. infirm. Et quod Princeps se legibus submittit, id non legum efficacitati, sed ipsius propriæ virtuti attribuendum. Cöler. de jur. Imper. Germ. sect. 17. Richard. Dieter. de summa Imp. potest. conc. 6. & seqq. Meysisch de potest. Imp. th. 1. lit. b. Bruning. de var. univers. spec. th. 3. & seqq. Non autem est quod Bodinus exinde inferat, Imperatorem non habere Majestatem, cum legibus Imperii teneatur. Hac enim ratione nulli Regum Majestas competeret, cum nullum ferè regnum sit, quod non legum & juramenti religione suum gubernatorem adstringat. Cluten. in syllog. rer. quot. conc. 16. lit. c. Non autem subjectionem id arguit, quia ex pacto & obligatione legibus astringuntur, non autem per modum subjectionis Cöler. de jure Imper. Germ. sect. 32. Matth. Steph. de jur. publ. vol. 2. disc. 17. conc. 8. lit. c. circa fin. Neque pro Bodino facit, quod Imperator coram Electore Palatino conveniri possit per text. A. B. tit. 5. §. fin. cum id non fiat ut coram superiore sive Magistratu, sed ut coram inferiore,

D

qui



qui tantum in causa proposita iudicium exercet Matth. Steph. *de jur. publ. vol. 1. disc. 6. conc. 6.* Schönb. 5. *polit. 34.* Gebhard. *de Sacr. Rom. Imp. th. 13. 14.* Ità Rex Galliarum, quem tamen supra omnes extollit Bodinus, convenitur coram Parlamento Parisiensi: Reges Hispaniæ jus sibi dici patiuntur in conventibus triennialibus, quibus etiam capitulatio satis stricta proponitur, quam refert Norderm. *de jure Princip. th. II.* Non tamen eorum Majestati hoc quicquam detrahit Cluten. *d. loc.* Gebhard. *de S. Rom. Imper. th. 14.* Schiferer *de orig. & potest. Elect. th. 31. & seqq.* Matth. Steph. *d. vol. 2. disc. 17. conc. 2. lit. b.* Nec obstat Majestati Imperatoris, quod Principes Germaniæ tantà gaudeant prærogativâ, quod Regia ferè ipsorum dignitas sit Coler. *d. loc. sect. 40.* Norderm. *de jur. Princip. conc. 84 in pr.* Vietor *de caus. exempt. conc. 28.* quod status tantum possint in suo territorio quantum Imperator in universo. Cluten. *conc. 21. lit. b.* (Salvis tamen Majestate & reservatis Imperatoris ohne schmelerung der Kayserslichen Hoheit und reservaten. R. A. de anno 526 §. dadurch dann Vietor *de caus. exempt. conc. 4.* ubi plures. Vide insuper theoricam hanc explicantem & limitantem Reinfing *de regim. secul. lib. 1. cl. 5. c. 6. per tot.*) per hoc enim magis nobilis, magis honorabilis, magisque timenda Imperatoris efficitur Majestas; cum tantò potior & major quis sit, quo majoribus & illustrioribus præest. Nov. 15. *in fin. præfat.* Norderm. *de jur. princip. conc. 83. lit. a.* Et sanè, nullibi illustriores profapias, quàm in Germania inveniri testatur Æn. Sylv. *in descrip. German.* Unde Carolus V. dicere solitus, se in aliis regnis mancipiis & servis; in Germania Regibus imperare. Cluten. *in Syll. con. 26. lit. a. per tot.* Thom. Mich. *de Jurisdic. conc. 44. lit. b.* Ming. *de superior. territ. conc. 3.* Wensisch *de potest. & jurisdic. Imperat. th. 1. lit. c.* Sinolt. *de Vicar. Imper. conc. 37. lit. a.* Vietor *d. loc. conc. 5.* König *acie disput. polit. 6. th. 5.* Syring. *de pac. relig. th. 14. lit. a. in fin.* Matth. Steph. *d. disc. 17. conc. 7. lit. a.* Hinc omnibus Regibus Imperator noster præfertur, cujus eminentiam ipse etiam Turcarum agnoscit Princeps Arum. *disc. 1. de jure publ.* Syring. *de pac. relig. th. 15. lit. a.* Richard. Dieter. *de summa sum. Imp. potest. th. 80.* Ità enim Imperatori nostro scribere solitus est: In fide Jesu Nazareni inter ceteros Principes Christianorum summo. Formulam ad D. Mat-

Matthiam Imper. à Turco datam vide apud Matth. Steph. *d. disc.*  
*7. conc. 19. lit. a.* Unde & Imperatoris nostri Legatus sedendo  
 c. oram ipso perorare solet, quod Venetorum Orator imitari vo-  
 lens à Barbaris interpellatus & pròhibitus fuit Bertram. *de comit.*  
*n. 16. Cluten. conc. 26. lit. b.* Facit quod Imperator Reges creare  
 possit. Ergo Rege major fit necesse est Norderm. *de jur. princ.*  
*conc. 5 lit. d. in fin. & conc. 88. lit. b. circ. fin. Bertr. d. l.*

(c) Unde omnis potestatis & Jurisdictionis fons dicitur, à  
 quo ista fluunt & ad quem refluent, uti ab Oceano & rursus ad  
 eum flumina, uti loquuntur Dd. quos laudat Heig. *p. 1. q. 2. num. 8.*  
 Thom. Mich. *conc. 1. lit. c.* Matth. Steph. *de Jurisdic. lib. 1. c. 2. n. 26.*  
 Idem *de jur. publ. vol. 1. disc. 6. conc. 1.* Meyfisch *d. loc. th. 4 lit. b. Ming.*  
*d. l. conc. 19.* Quare non Magistratus, sed Magistratus causa, non  
 dignitas, sed dignitatum culmen dici meruit. Heig. *d. l. num. 9.*  
 Matth. Steph. *de Jurisdic. lib. 2 part. 1. c. 1. n. 1.* qui inter omnes Re-  
 ges eminet tanquam stella matutina. Dd. quos laudat Norderm.  
*de jure Princ. th. 83. lit. a.* Rönig *d. disp. 6. th. 24.* Vietor *de caas.*  
*exempt. conc. 1. in fin.* qui Dominus mundi est *l. 9. ff. ad l. Rhod. de*  
*jaet. pr. constit. de Justin. Cod. confirm. A. B. tit. 2. §.* Und wenn die  
 Churfürsten. Dan. Otto *de jur. publ. c. 1. pag. 166.* Viet. *d. loc. conc. 1.*  
*in fin.* Matth. Steph. *de jur. publ. vol. 1. disc. 6. conc. 1.* Thom. Mich.  
*conc. 9. lit. b.* Gebhard. *de SS. Rom. Imper. th. 12. Cluten in Syllog. th. 1.*  
*lit. b.* Non quod totus orbis ipsius Imperio subjectus sit, nam ità  
 nullus Monarcha fuisset, nunquam enim unius Imperio totus pa-  
 ruit orbis; Sed quod potissima pars, nec ea quidem per se & ra-  
 tione latitudinis, sed contemplatione Reipubl. Matth. Steph. *de*  
*Jurisdic. lib. 2. p. 1. c. 1. n. 5.* Idem *de jure publ. vol. 2. disc. 17. conc. 9. lit. a.*  
*circ. fin. Schönborn. 5. politic. 5.* Nec est quod exinde nos rideat  
 Andius sine bono, (sic per metathesin literarum Joannem Bo-  
 dinum nominant) cum etiam in S. Codice Cyrus omnia regna  
 terræ sibi data dicat. *Esd. 1. c. 1. v. 2.* qui tamen omnia non habuit.  
 Sic *Luc. 2. v. 1.* quod dicitur de toto orbe, saltem exaudiendum est  
 de orbe Romano.

(d) Quod Imp. Justin. innuit, dum sibi Imperium à cœlesti Ma-  
 jestate traditum dicit *l. 1. in pr. C. de V. 7. enucl. sibiq; coronā à Deo*  
*impositā Nov. 28. c. 4. in fin.* Nulla n. potestas est, nisi à Deo *Rom. 13. 1.*



*Sap. 6. v. 4. Et gratia Dei regnant Reges Prov. 8. v. 15. & seq. hinc phrasi illa utitur, Wir von Gottes Gnaden Matth. Steph. de jur. publ. vol. 1. disc. 6. conc. 1. & vol. 2. disc. 17. conc. 7. lit. b. Cluten. conc. 4. lit. e König d. disp. 6. th. 20. Quare nullum præter Deum & Ensem recognoscere dicitur König. d. l. th. 14. Besold. 1. polit. 2. n. 13. Matth. Steph. lib. 2. de Jurisd. p. 2. c. 7. n. 41. Dan. Otto de jur. publ. c. 54. in pr. & c. 9. in fin. Norderm. d. l. th. 12. Synolt. d. l. th. 40. lit. c. Schönborn 5. polit. 5. Syring. de pac. relig. conc. 16 lit. b.*

(e) Nugæ sunt & purum putum commentum Pontificium; translatum esse Imperium à Jove Vaticano ad Germanos, licet impudentissimè id affirmet Clemens V. Papa in *Clement. un. de ju-rejur.* Quis, quæso, ipsis jus dedit transferendi regna? Quis unquam regnum transfudit in quo nihil juris habuit? Coronam quidem Carolo Magno Episcopus Romanus imposuit, eumque cui jam una mente, voceque una à Romanis Imperium delatum erat, Imperatorem pronuntiavit Norderm. d. l. th. 13. Sed quid is ad translationem Imperii facit, qui electum & confirmatum saltem declarat? Armis Carolus Magnus Imperium acquisivit, uti omnes veri testantur Historici: unde nati versus:

*Sanguine Romanum Regnum sibi Carolus aptè*

*Afficiat Magnus, proprio quoque sanguine servat.*

Vid. Thom. Mich. de Jurisd. conc. 1. 2. 3. & seqq. Cluten. in syllog. conc. 4. lit. c. d. f. & seqq. & conc. 6. lit. b. Meyfisch de potest. Imper. th. 2. Sinolt. de Vicar. Imp. th. 40. lit. a. Coler. de jur. Imp. Germ. sect. 3. 4. 5. 6. Norderm. th. 12. lit. b. Matth. Steph. de jur. publ. vol. 2. disc. 17. con. 1. lit. a.

(f) Quorum septem sunt, tres spirituales & quatuor seculares. A. B. in proæm. §. Gleicher gestalt & tit. 3. 4. & passim. qui numerus augeri citra voluntatem Electorum nequit. Unde Maximilianus I. petens Archiduces Austriæ in hunc ordinem referri, repulsam tulit Clut. conc. 24. lit. f. Zollner de Reg. Rom. elect. th. 10. lit. a. Arum. ad A. B. disc. 3. th. 7. in fin. Hi sunt qui Principem locum post Imperatorem & Regem Romanum obtinent, & qui neheste Gliedmassen des heiligen Römischen Reichs vocantur. A. B. in proæm. & tit. 2. §. vnd dieweil. item Edle Seulen. tit. 3. in pr. Grundt-fest

467

fest und unbewegliche Seelen. *tit. 12. in pr. tit. fin. §.* Wenn aber des  
heiligen Römischen Reichs. item Ein theil des Keyserlichen Leibes  
*tit. 24. in pr.* quibus solis jus eligendi Romanum Imperatorem  
competit *per text. A. B. tit. 1.* Origo eorum incerta est: Quidam  
enim ex consuetudine tacitoque Principum Ordinumq; Imperii  
consensu eos coepisse volunt *ex text. A. B. tit. 1. in pr. ibi.* Nach alter  
loblicher gewonheit. Quidam à Carolo Magno, nonnulli à Con-  
rado II. alii ab aliis eos institutos esse tradunt. Qui sub Ottone  
III. anno 996. eos coepisse probant, præcipui plurimique sunt,  
tùm Chronographi tùm Jcti, quos laudatos vide apud Cluten.  
*in Syllog. conc. 24. lit. b. Heig. p. 1. qu. 3. Mich. Schiferer de orig. &*  
*potest. Elect. conc. 3. & 4. Bruning. de variis univers. spec. th. 9. lit. b.*  
*Engelbrecht de success. in Elector. th. 2. Reinking de regim. secul. lib. 1.*  
*cl. 4. c. 3. n. 7.* quorum fidem potius sequi convenit, quam eidem si-  
ne fundamentis refragari vid. Synolt. *d. l. th. 19. lit. b.* Fundamen-  
ta hujus opinionis fortissima sunt: Henricus II. qui proximè Ot-  
tonem III. secutus est, Episcopo Bambergensi hoc insigne dedit,  
quod Electores seculares ab ipso feuda habeant, officia sc. sua  
Imperialia, die Keyserlichen Hoffämpter, quod nimirum hic Da-  
pifer sit, ille Enlifer &c. quod insigne Episcopatus illius ornamē-  
tum, Sericeum D. Cunegundis (quæ Uxor Henrici II. fuit) filium  
appellitant. Bertram *de Comit. Imp. n. 32.* Reinking. *de regim. se-*  
*cul. lib. 1. cl. 4. c. 7. n. 5.* Cluten. *in Syll. conc. 24. lit. o.* Arum. *ad A. B. disc.*  
*6. th. 41.* qui refutāt eos qui falsò putant Electores feuda Electora-  
lia ab Episcopo illo recognoscere, è quibus sunt Dresser. *millen. 6.*  
*part. 1. f. 312. & millen. eod. part. 2. f. 139.* Peucer. *lib. 4. Chronic. Carion.*  
Constat itaque Electores jam fuisse, nec post Henricum II. con-  
stitutos esse. Matth. Steph. *de Jurisdic. lib. 2. part. 1. c. 5. n. 3. & seqq.*  
Cyriac. Spangenberg. *in Chronic. Mansfeld. part. 1. c. 161. in vita Hen-*  
*rici II.* Quod verò tempore Henrici II. constituti non sint, con-  
stat ex eo, quod Henricus II. primus fuerit, qui ab Electoribus  
secundum constitutionem Ottonis electus est. Dresser. *millen. 6.*  
*p. 1. in vita Henrici II. fol. m. 308.* Facit huc quod historici referunt  
de Willigiso ArchiEpiscopo Moguntino, filio patris Rhedarii



ex pago Schönungen in Saxonia oriundo; eum primum Electorem Moguntinum fuisse Arum. ad *A. B. disc. 3. th. 17.* Dresser. *millen. 6. part. 2. in vita Willigisi fol. 61. 62.* Is autem vixit tempore Ottonis III. Dresser. *d. l. & mill. 6. part. 1. in vita Henrici II. fol. 309.* Cluten. *conc. 24. lit. h. in fin.* Spangenberg. *d. l. c. 150.*

(g) Quæ liberrima esse debet, ohn alles Beding / Belohnung / Gaab / Verheissung / &c. *A. B. tit. 2. §. Ich N. Erzbischoff. in fin.* Non quodquemlibet eligere possint, sed solum Principem natione Germanum. vid. *Orationes Electorum Moguntini, Trevirensis & Saxonis apud Sleid. lib. 1. comment. p. m. 22. & seqq. Clut. in syllog. conc. 23. lit. e. in fin.* Gebhard. *de S. Rom. Imper. th. 7.* Zollner *de Reg. Rom. election. conc. 16.* Sinolt. *d. l. conc. 37. lit. a.* Matth. Steph. *de jur. publ. vol. 2. disc. 17. conc. 3. lit. b.* Schiferer *d. l. th. 23. & seqq.* Bruning. *de var. univ. spec. th. 10. lit. c.* Cöler. *de jur. Imper. Germ. sect. 35.* Heig. *p. 1. qu. 5. n. 10. & seqq.* Sed an electus post electionem statim Imperatoris dignitatibus gaudet? Quod rectissime affirmant Gebhard. *de S. Rom. Imper. th. 10.* Sinolt. *d. l. conc. 39. lit. a.* Schönborn. *5. polit. 8. & Dd. jam alleg.* Non itaque requiritur confirmatio, coronatio & unctio Papæ Romani, quicquid iste cum suis asseclis in contrarium nugetur: Nullam enim ex ea coronatione potestatem accipit, sed ex sola electione. Et quis Pontificum coronavit nunquam satis laudatos Principes Imperatores, Henricum Aucupem, Fridericum I. Rudolphum I. Ferdinandum I. Maximilianum II. Rudolphum II. Matthiam, & nunc feliciter Imperantem Ferdinandum II. Quos Imperatores non fuisse absq; eorum Majestatis læsione dicere non poterunt, quamvis nonnulli id impudentissime faciant. Cluten. *d. l. conc. 4. lit. K. & Dd. supra laudati.* Sed ultra opinionem excrescunt pagine: quare revocandus stylus est. Si autem nonnulla forsitan posita sunt, quæ alicui minus arrideant, (quis enim omnibus satis facere potest?) peto ne iniquum se censorem præbeat; protestor enim solenniter me hæc non in foro & curia, sed in pulpito & schola exercitii causa proposuisse: quare cuilibet emunctioris naris homini, erroresque mon-



monstranti & in viam reducenti tantum abest ut resistere velim,  
ut etiam summa cum gratitudine me obsecuturum pollicear.  
Æquus autem censor memor erit, quod omnium habere memo-  
riam & penitus in nullo peccare divinitatis magis sit quam  
mortalitatis. *l. tanta 2. S. si quid 14. C. de jur.*

*vet. enuel.*

SOLI DEO GLORIA



408





**Q**uid jus & æquum, scriptaq; lex velit,  
Et magna, JURISDICTIONO, Codicis  
Pars afferat, scrutari ocellis  
Ingenii, labor haud iniquus.  
Hoc quippe magnos undiq; contulit  
Et fructuosos Regibus, Urbibus  
Pagisq; profectus, minaces  
Propulit insidias, dolosas  
Fraudesq; : nunquam, quod stetit, abstulit;  
Nunquam ruinas (quem gladii modum  
Sentimus, audimus, videmus,  
(Cerne DEUS, moderare pœnam!))  
Nunquamve clades aut regionibus  
Auro superbis intulit, aut virum  
Formidine instructis, nocentes  
Urbibus, aut domibus, cassisve.  
Ast hoc, suum quod, cuique retribuit,  
Et quæque justè possidet, haud rapit,  
Pacemq; falsi nescientem  
Ut comitem comitatur arcum.  
O hospes alme! ô vade! quid abnuis?  
Ad nostra rursus limina: Sanguinis  
Sat non-nocentis terra bibit.  
Vade, quid abnuis? hospes alme!

*Suo Fratri gemino-germano de Jurisdictione  
disputaturo applaudebat*

M. Andreas Henrich Bucholtz.

F I N I S.


ULB Halle  
004 961 196

3



W177







11  
Disputatio Juridica 453  
23  
DE  
**JURISDICTIONE**  
*Quam* 1631 5  
Prosperante Divino Numine  
*Ex consensu*  
Magnifici & Amplissimi Jctorum in florentissima  
& celeberrima Academia Wittebergenfi ordinis  
*SUB PRÆSIDIO*  
*Viri Amplissimi Consultissimi & Excellentissimi*  
**DN. HENNINGI Grosse**  
J. U. D. Prof. publ. Curia Electoralis & Facultatis  
Juridicæ, nec non Judicii Provincialis in inferiori Lusatia Affes-  
soris gravissimi, Domini Præceptoris & Promotoris sui  
æterno honoris & observantiæ cultu  
prosequendi,  
*Placida disquisitioni publicè*  
*proponit*  
**CHRISTOPH JOACHIM Bucholtz**  
Schöningâ Brunsvig.  
*Habendam ad diem 16. Julii,*  
In Acroaterio Jctorum horis à 7. matutinis.  

---

*WITTEBERGÆ,*  
Ex Officinâ Typograph. AMBROSII ROTH, Acad. Typogr.  
*ANNO M. DC. XXXI.*

